



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digressio 39. Naturalem omnem actionem contactu perfici ad tex. com.
97.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

COMMENTARIUS XCVII.

Democritus eam habuit de visione sententiam, ut in ea perficienda minime crederet medium vllum inter aspectum & coloratum obiectum esse necessarium. Quin potius affirmabat, si totum hoc spatium, quod inter nos & caelestia corpora acre & igne plenum est, remotis illis fieret vacuum; fore nihilominus exquisitè, immò acutiùs & exactiùs cerneremus, quod libèrque vel minimum corpus & verò etiam formicam in cælo positam conspiceremus. Nam cum certum sit, quotidianaque experientia comprobatum, obiectum quò magis distat à nobis, eò minùs videri: si formicam nunc aut etiam grandiora corpora paulò longiùs distita non videmus, & caelestia astra propter loci distantiam tam parva nobis apparent, tamen si in mensam planè habeant molem: tunc autem factò vacuo formicam in cælo sitam exquisitè cerneremus: omnino consequens est, acutiùs multò & probiùs omnia tunc visum iri, quam nunc videantur.

Hanc opinionem Democriti reprehendere fallamque esse demonstrare libuit hoc loco Aristoteli, quòd veritati & sententiæ prorsus aduersare turbae. Necessarium enim esse dixerat, ut colore mouetur medium peripicuum, hoc est aer; atque hoc visque ad oculum continuatò moueatur sensus. Ad hunc igitur modum ratiocinatur. Ut obiectum quodpiam videamus, sensum aliquid pati oportet, quoniam ut antea ostensum est, sentire pati quoddam est, moueri, & alterari; siue re ipsa, ut in cæteris materialibus magis sensibus; siue intentionaliter, ut in aspectu; hoc aut speciei susceptione in oculo, aut sola obiecti aspectabilis presentia, qua excitarur sensus atque ad operandum trahitur. Aut igitur à colore ipso, qui cernitur, moueri oportet, aut à medio: colore moueri non potest immediate & proximè (hoc enim subintelligendum esse verè Simplicius admonet). Quia non solum non tangit, sed minimum omnino distat, si ponatur in cælo. Immo si tangeret atque oculo admoeretur, omnino non videretur. Necesse igitur est, ut immediate moueatur à medio, ut ita dici possit à calore quoque alterius interuentu moueri.

Itaque hic erit in visione ordo mouentium, & eorum que mouent. Aspectabile obiectum est primum mouens, quòd non mouetur: aspectus vltimum, quòd mouetur & non mouet: medium peripicuum & mouetur & mouet. Idcirco ut fiat visio, id quod inter aspectum & colorè est, plenum semper esse oportet. Hoc enim est, quòd ait (quare necesse est aliquid esse mediũ; hoc est id, quòd est medium, esse aliquod corpus plenum) neque in vacuo quidquam videretur. Tantum abest, ut acutiùs cerneretur, quam in pleno; aut etiam formica in cælo exquisitè conspiceretur, quam nunc paululum distantem non videmus.

Sane Philosophi hæc argumentatio notissimo illo principio nititur; Omnis actio per contactum fieri debet. Siue igitur sit actio in aliud transiens, ut actio ignis in lignum; siue in eo ipso quòd operatur remanens, ut visio & omnino sensus; cõtactus agentis & patientis, quòd actione suscipiat; siue agentis & obiecti, circa quòd agit, quòdque illius actionem terminat, opus est. Eoque duplici: altero quidem

A virtutis, qui agnoscitur in eo, ut subiectum siue obiectum agentis sphaera contineatur. Nam vnum quodque agens, ut finitam agendi virtutem, ita & determinatam distantiam habet; ad quam illius virtus ita se potest extendere, ut ultra eam non possit. Neque ignis calefacere potest nisi ad certam distantiam, neque aspectus quantumcumque distitum obiectum cernere. Altero autem supposito: tum & quantitatim, sine quo virtutis contactus non est. Itaque versatur in eo, ut agentis & patientis, seu agentis & obiecti, extremitates sunt simul, aut immediate, aut certè alio interiecto corpore. Quemadmodum cum ignis tangit aërem, & aër lignum, quòd calefit, aut oculus aërem, aërque coloratum parietem, qui videtur. Siue igitur coloratum obiectum agat in oculum sui speciem immittendo, siue aspectus circa illud operetur, ablato aëre medio factoque vacuo nulla erit visio. Quoniam si obiectum immittit in oculum oportet speciem sui, nihil est, in quo ea suscipiatur, ut ad oculum transmittatur. Sed aut statim euascescit & perit in vacuo, aut potius omnino non producit, quia nihil est, ex cuius potestate educatur, aut in quo suscipiatur. Sicut nec in tenebris producit, quòd in solo perspicuo illuminato produci queat. Eandem ob causam nec lucida corpora nec astra viderentur.

C Quòd si aspectus non suscepta sui obiecti specie in oculo, sed proposito duntaxat obiecto circa illud operetur, nihil magis cernit in vacuo. Vacuo namque factò contactuque suppositorum sublato, virtutis item contactus tollitur, atque impeditur, ne ad obiectum pertineat. Quippe certissimum est illud Philosophorum omnium axioma, Nihil operatur vbi non est. Nam quia operatio virtutem operandi consistit, hæcque rursum essentiam ipsam cuius est virtus, vbi non est essentia, aut immediate, aut mediata, nec virtus esse nec potest operatio. Quocirca cum vacuè presentiam tollat omnemque presentiam & suppositi contactum, virtutis quoque contactum tollit omnemque operationem prohibet. Tantum abest, ut vtiueri ceteriorumque & acriorum faciat, ut Democritus assererebat. Atque hinc efficacitas intelligitur Aristotelice aduersus ipsam disputationis.

DI GRESSIO XXXIX.

Naturalem omnem actionem contactu perfici.

Longioris hæc disputationis occasionem præbent. Agentis enim & patientis contactum in omni actione necessarium esse, tum hoc loco Philosophus accepit, tum alibi sæpè. Nam in Phys. lib. à tex. 10. mouens & mobile demonstrauit simul esse oportere ut fiat motus. Et in tex. 82. hb. 3. propterea miratus est, quomodo proiecta corpora non tangente primo mouente moueatur. Atque ut cetera mittam, in priore lib. de ortu & interitu tex. 43. 44. 45. & 78. id ex instituto & vniuersè constituit.

At non defuerunt qui secus sentirent, nec Democritus modo, sed & Plotinus in lib. de dubijs animæ vel de visione, & Alexander peripateticus Auerrois & Alberti testimonio 2. lib. de cælo t. 24.

FFF

Qui est saltem negationis

Caelum namque agit in hæc inferiora, quæ minime tangit; ætremque calefacit sol, interiectos orbis non calefaciens. Scitum est menstruata mulieris oculos inficere speculum; fascinoſisque facinare passiones; & Basilisci necare homines; torpentinem piscatoris manu torporem adferre, nihil afficiendo ea quæ interiecta sunt. Eundem piscem narrant Aristoteles in lib. 9. de animalium historia cap. 37. & Plinius lib. 9. cap. 42. & lib. 32. cap. 1. & Albertus lib. 24. de animalibus abscondere sese in arena & limo, piscelque ceteros stupefacere & vorare. qui oculos sippitudine laborantes inflex erit, sepe eodẽ inficitur morbo, ut est i probl. 4. lect. 7. nec tamẽ eorũ oculi sese contingunt. Electrum trahit surculos, & magnes ferrum. Eandemq. ferrum trahendi vim inesse Milui piscis ossi, auctor est Simplicius com. 104. in tex. 82. lib. 8. Phys. Inest & in singulis animalium membris vis attrahendi alimentum à se remotum. Speculum concauum comburit stupam, & non proximum ætrem. Fundi vasorum, quibus caleſta aqua, frigidiores, superiorẽque aqua partes, quæ magis ab igne distant, calidiores sunt; ut in probl. octavo lect. 24. confirmatur. Feruet & bullit oleum charta contentum, nec à subiecto igne charta comburitur. Coquitur pomum, neque circumductum læditur linteum. Oscitante alio ad offitandum prouocatur; & in musicis instrumentis vna corda pulsata resonant alia ab ea distans. Lupina tympana ferunt ea dissoluere, quæ agnino consistunt corio, etsi nullus eorum sit contactus. Ac demum imaginationem sepe compertum est in corporis partibus à se remotis effecisse complura. Noui hominem & verò amicissimum mihi; cui sola imaginationis vi, cum liberit, volo manus egregie sudat. Ita ferè nos experientorum numero teritant diligentes nimirum & oculati obseruatoris naturæ. Ex eo item argumento deducto, quod si actio contactu feret, in superficie duntaxat feret; cum superficie solum contactus sit: at in tota profunditate sit actio.

Vera
opinio
statu-
tur.

Verum hæc omnia me ne tantillum quidem mouet. Agentia enim naturalia omnia sunt corporea, agendi que virtutem quantitati alligatam habent, nec agendo possunt à quantitate recedere. Quippe actio agendi virtutem, hæcque agentis naturam & esse comitantur. Quam ob causam res materialis & quanta in immaterialem & à quantitate abiunctam non agit. Quoniam cum virtus & actio sint quanta, non nisi in re quapiam quanta suscipi possunt. Quod si in aliquo non suscipiantur, nec villa erit actio neque in quaquam ager. Sanè actio formam significat ut ab agente proficiscitur; idque circa quod agens agit, actionem eius suscipit. Quare cum illius actio & forma sit quanta, neque possit quantum suscipi in non quanto; consequens necessario est, agens quantum non nisi in aliud quantum agere. In eo porro non potest agentis actio suscipi, nisi ei fuerint immediatum; si non superficie, ita ut nihil interagens & patiens intercedat; virtute saltem agendi. Quia si agens in aliquid ageret neutro sibi modo immediatum, non posset illius actio in eo suscipi: & si ageret in quidpiam, quod extra actionis spheram esset, actio eius esset abstracta & à quantitate libera: cum tamen omnis actio agentis quanti ita sit cum quantitate coniuncta, ut ad certam solum distantiam agere & extra illam nihil possit. At quoniam actionis quantitas totam aliquam constituit spheram; quidquid ea continebitur, immediatum

erit agenti; quia ad totum illud spatium potest illius actio pertinere.

Duo vero modis dicitur immediatum, & per se supposito, si nihil intercedat, sed agentis & patientis extrema se se contingant. Aut virtute; quando etsi non immediate se tangant extrema, agentis tamen in id agit, quod actionis suæ spheram continet; idque virtutem suam interiecto corpori communiendo: ut licet per medium agat, quia tamen virtus ea non est medijs propria, sed ab agente proficiscitur, dicatur semper agens immediate quoad virtutem attingere patientem. Hinc ortum habuit distinctio illa duplicis contactus, quæ est in i. lib. de ortu & interitu, quorũ alter est Mathematicus; alter Physicus. Nam Mathematicus contactus corporum est, quorum extrema absque medio setangunt, sine virtutem virtute aut actione. Physicus autem patiens hunc extremarum quantitatum contactum virtutem etiam addit, qua vnũ agit aut mouet, alterum patitur aut mouetur. Qui sane contactus, aut immediatus esse potest, aut immediatus: idque aut supposito aut virtute.

Vt triplex omnino possit esse contactus Physicus. Vnus tum supposito tum virtute immediatus, quæ est inter ignem & ætrem, ubi ab igne alio interiecto corpore ætrem ignis calefacit. Alter supposito solum, non virtute immediatus, ut cum aer ab igne calefacit nostra corpora. Postremus virtute & non supposito, ut cum ignis interposito ætrem nos calefacit. Cum igitur Mathematicus contactus solum extremorum seu suppositorum contactum significet, Physicus autem & suppositorum & virtutis tertia addi potest contactus ratio communi, quæ & ex eodem Philosophi loco colligitur, & spiritibus quoque conuenit, dum in res corporeas agunt. Hic est solius virtutis, & in eo solum agnoscitur, ut agens est quantum non sit, virtutem suam apponens atque in aliquid agat.

In omni porro naturali & corporea actione necessarium esse agentis vnionem cum patiente, quæ est per contactum Physicum, siue mediatum, siue immediatum, non tanquam rationem formalem, sed velut actionis conditionem, colligitur plane, tum ex locali motu, quo manifestum est non posse aliquid ab alio moueri, nisi aut immediate, aut mediate ab illo tangatur. Tum ex certissimo illo principio, quod initio posui, actionem à virtute agentis, hancque ab essentia pendere, cumque naturalium agentium essentia sit cum quantitate ligata virtutem & actionem non posse sine quantitate esse, hæc est non nisi ad certam aliquam distantiam, intra quam debeat patientis contineri. Ita ut patientis dicitur esse cum agente, aut ab alio tangi non modo virtute, quia hic tactus in quavis distantia esse potest, cum vertetur solum in agentis & patientis portione: verum etiam quantitate, siue immediate, siue mediate; ut continetur determinata spheram, ad quam actio illa cum quantitate coniuncta extendere se se possit: & quiquid intra illam spheram fuerit, siue immediate, siue mediate, debeat ab eo agentem per illam actionem tangi.

Sed præter hæc adest experientia omnium certissima, in medicamentis obseruamus nullam esse actionem, nisi ita adhibeantur, tanganturque in naturalibus ignem (ut hoc exemplum accipiam) non calefacere corpus, nisi mediate, aut immediate illud tangat. Quod si absque contactu agerent, aggregatis opus non esset adhibere medicamenta, nec

frigidus ad ignem accederet, aliaque id genus fierent. Immo si inter agens & patiens poneretur aliquod corpus, non impediretur actio; parietaque interiecto nihilominus calefaceret nos ignis, & agentia omnia effectus suos producerent. Aut enim interiectum corpus impediret ratione distantia, aut propter interpositi corporis molem: distantia eadem esset, siue quidpiam interponeretur, siue non; corporis autem molem causare si non posset, qui contactus necessitatem negaret. Neque enim a mole penderet actio, neque ab ea impediri posset. Quod si impediri dicat propter formam & qualitatem contrariam; sane corpus aliquod interponi posset, quod similes formas & qualitatis haberet, quemadmodum si inter hominem & ignem alius eisdem qualitatibus affectus homo statuatur. Unde etiam triplici agente posito, vno propinquiore, & alio remotiore a patiente; & posito vno igne, qui in tria patientia eodem modo disposita ageret; & tria illa agentia aequae agerent in illud patientis, cum actio a contactu non penderet; & vnicus ille ignis eandem ob causam tria illa obiecta immediate calefaceret. Quae tamen certum est & sensu confirmatum haud ita se habere. Et quidem certe nisi agentis & patientis contactus requireretur, posset in vacuo quoque fieri actio: tuncque actio rei quantae non minus esset abstracta, quam immaterialis rei actio; magisque, quam essentia & virtus, ex quibus ea proficiscitur. Neque distantia vlla impediret actionem, neque iutaret propinquitas; neque agens breuioribus lineis vehementius, quam longioribus, ageret. Atque nulla potior est ratio, cur natura tantopere fugiat vacuum, quam quia in eo nulla fieri posset actio. Neque vlla est ratio, cur haec in vacuo non fieret, nisi quia non esset contactus. Nimirum corpora immediate se se tangenti atque a Deo conseruata in vacuo agere possent: at si distita essent, statim atque actio ab agente exiret, euasceret in vacuo, quod nihil esset, in quo ea susciperetur & per quod ad patientis deueheretur. Quin etiam si actio contactu non indigeret, possent omnia in vacuo a caelo & alijs secundis causis conseruari: nec erit quod Philosophus dicat in 1. lib. Meteor. cap. 2. necessarium esse inferiorem hunc mundum cum caelesti superiori coniunctum esse, vt virtutem inde omnem deriuat.

Nunc vero nihil est vacuum in natura, cumque agens agit, nisi tangat patientis, intercedat aliquod corpus, aut eiusdem naturae cum patiente, & sic est immediatum patientis; aut eiusdem cum agente, estque immediatum agens, tum virtute, tum supposito, aut est aliquid diuersae ab vtroque naturae, quod tamen commune cum illis materiam habeat, tuncque agens prius agit in illud medium, postterius in aliquid: quoniam propter communitatem materiam illud quoque medium pati ab eo agente potest, quare est mediare quoad suppositum, immediate tamen virtute tangit illud patientis. Quod si corpus medium densitate & duritie aliaue qualitate agentis nimium resistat; aut omnino actionem impedit, aut retardat tandiu, quandiu ipsum quoque ab agente fuerit superatum. Hoc enim certissimum est argumentum ex sensu & experientia ductum, actionem per contactum fieri; nec posse agens in remotum agere, nisi prius agat in id, quod magis propinquum est.

Ceterum cum agens finitam virtutem habeat, non potest hic contactus in infinitum progredi; sed

A certam habeat distantiam, ex qua virtutis agentium sphaera oritur: intra quam quidquid fuerit constitutum, pati ab eo agente poterit; siue immediate, siue mediate quoad suppositum; semper autem immediate quoad virtutem. Extra illam autem nihil omnino agentia possunt. Vocatur sphaera; quoniam agentia virtutem suam in orbem exerunt in circuncincta omnia corpora. At non vno & eodem modo. Quia cum agant per contactum, quo perfectior & magis immediatus contactus fuerit; eo vehementior est actio: minor & imbecillior, vbi contactus magis mediat. Ita vehementior semper est in partes propinquiores actio, & in eas vehementissima, quae supposito quoque tanguntur: in reliquis infirmiter semper, quousque ad eas progrediatur, vltra quas agentis virtus extendere se amplius non potest: hic est terminus sphaerae & quantitas illius virtutis. Verum in hac ipsa difformitate vniuersitas quaedam est & proportio, ex distantiae & contactus vniuersitate & proportione orta. Haec in duobus maxime cernitur. Primum, vt in omnes in orbem partes aequae propinquas eodem modo agat. Deinde, vt in primas partes agat, ex empli causa vt octo, in paulo remotiores vt septem, in magis distantes vt sex, atque ita deinceps, quousque propter nimiam distantiam proflus non agat. Quod fit, vt agentia naturalia dici possint operari vniuersimter difformiter, atque in sua agendi sphaera a summo gradu vsque non gradum vniuersimter difformiter agere.

Quamquam haec proportio quatuor potissimum ob causas non nihil saepe mutatur. Primum propter qualitatem, quae producitur. Nam si ea pendeat ab agente, non solum vt producat, sed etiam vt conseruet, quemadmodum lumen a corpore lucido, remoto agente cessat omnis actio, nec potest ad remotiora corpora progredi. Quod si pendeat solum in productione, vt calor ab igne, durabit adhuc actio, etsi praecipuum agens remoueat, quod producta in medio qualitas conseruari possit atque in aliud agere: actio tamen primario agenti tribuetur, quod per virtutis contactum dicitur agere. Deinde propter raritatem & densitatem aliaue dispositiones medij. Per medium namque rarum facilius quidem est actio, at non tam vehemens, remotoque agente aut illico aut breui tempore cessat. Medium autem densum egrius quidem penetratur, sed vehementiorem atque ad maiorem distantiam habent actionem eamque diutius primo agente remoto prosequitur, vt in candente ferro videas. Tum vero plurimum refert quomodo agens cum patiente coniunctum sit, quando agit per medium. Nam si patientis per lineam rectam opponatur agentis, vehementissima est actio quia per lineas breuissimas, & eas, per quas omne agens vim suam exerit. Quod si ad latus sit, vt per lineas reflexas agendum sit, aut nihil, aut perparum agit. Postremo natura, conditio, & dispositio patientium maximam adfert diuersitatem. Hanc enim ob causam fit, vt cum multa per se patientia aequae sint agenti cupiam propinqua, aut saltem inter se ordinata intra agentis sphaeram, actio tamen vehementior in vno sit, quam in alio, & in eo nonnumquam, quod magis distat. Quin etiam fiet, vt quamuis agentis virtus per aliquod ex illis corporibus transeat ad aliud, in illo tamen nihil omnino efficiat, in hoc vehementissimè operetur. Agentium enim actus in patiente disposito suscipiuntur, vt est in 1. 2. 4. huius 2. lib. de anima.

Actio vniuersimter difformis intra sphaeram.

Actio non quae suorum modis variatur.

Actio non potest hic contactus in infinitum progredi; sed

*Celi
altro in
inferiora*

Hinc est, quod cœlum in eadem distantia per
viam & eandem virtutem tamen diuersos effectus
producat. Causa est alia atque alia patientium dif-
positio. Qua etiam fit, vt solis ac superiorum astro-
rum virtus per omnes inferiorum cœlorum orbis
ad sublunaria descendat, & ideo in ea dicatur per
contactum agere; illos tamen orbis non afficiat,
aut immutet: quoniam ad eum effectum, quem in
inferioribus producit, suscipiendum non sunt apti,
vt præclare exposuit Alexander in 1. Meteororum
lib. comment. 17. & Themistius apud Auerrocin
loco ante notato. Accedit, quod lumen, per quod
cœlum agit, calefacit maximè per reflexionem;
hæcque fit circa terram opacum corpus; & ideo hic
maximè virtus eius apparet.

*Men-
struata
mulieris
oculi.*

Non est dissimilis ratio, cur menstruata mulie-
ris oculi sanguineis maculis inficiant speculum.
Nam ex illis exit spiritus seu vapor sanguinis; qui
per aërem non infectum inficit speculum; quoniam
in eo crassior factus apparet. Non secus ac vapor
nostre emillius ore speculum, non aërem, macu-
lat. Sed ex oris habitu profecta macula non diu re-
manet, quod crassus sit halitus, nec profundiores
speculi peruat partes: at vapor ex oculis men-
struata prædiens tenuissimus est, speculumque pe-
nerat; & ideo diutius hæret macula. Hac de re ita

33 loquitur est Aristoteles in lib. de somnijs, cap. 2. In
33 speculis valde nitidis, cum mēstruis aduenientibus,
33 inspicunt in speculum, fit superficies speculi vt nu-
33 bes sanguinea. Et si quidem nouum sit speculum,
33 nō facile est abstergere huiusmodi maculam. Si ve-
33 ro vetus, facile. Causa vero, quoniam oculi, cum
33 fiunt menstrua, afficiuntur, sicut & alia quælibet
33 corporis pars. Etenim natura existunt pleni vena-
33 rum. Ideo cum fiunt menstrua, propter turbatio-
33 nem & sanguineam ebullitionem nobis quidem,
33 que in oculis, differentia incerta est; inest autem.
33 Nam eadem sanguinis & menstruorum natura.
33 Aer autem mouetur ab ipsis; & eum, quia supra
33 specula est, aërem continuum existentem talem
33 facit, vt ipse paritur: hic vero speculi superficiem.
33 Quomodo enim vestium, quæ maximè munda
33 sunt, citissime inquinantur. Nam purum ex-
33 tē monstrat quidquid exceperit, &c.

*Fascinatio
oculi*

Fascinationes quoque si prolatis quibusdam ver-
bis aut alia simili ceremonia fiant, plarum est opera
Daemonum fieri. Sin vero naturaliter & ex proprie-
tate aliqua illius indiuidui, sicut per vapores pestif-
cos ex facinantium oculis emissos. Idem de basilif-
co dixeris necante homines. Id enim pestilenti ali-
qua qualitate efficitur.

*Torpedo
na vir-
tute.*

Torpedo autem in pescatoris manum aut bra-
chium, & non in rete, torporem inducit, propter
subiecti dispositionem: est Themistius rete quoque
dixerit aliquid pati, at non eodem modo propter
diuersam dispositionem. Poteris vero alterius pis-
cis contrarium effectum obijcere, quo actionem
contactu fieri confirmabis. Refert enim Iulius Cæ-
sar Scaliger exercitatione 128, cap. 6. in Arotan flu-
uio Zeila insula quendam extare piscem, quem si
manu capias, continuò febre corripis statimque
dimisso liberaris, proinde Febrius is nomina-
tur.

*Lippitu-
dinis
causa.*

Lippitudinis porro exorta in eo, qui crebro lippū
inspexerit, exposuit Philosophus duplicem causam.
Altera est mobilitas oculi, qua facillime cuius obiecti
rei euadat similis. Nam & nullo negotio per-
turbatur, si perturbatum alium inspexerit oculum,

A Altera, quoniam ab oculo lippoprans & cor-
ruptus exhalat spiritus, qui alterius insipientis oculum
inficit. Inficit autem oculum potius, quam
aliam partem aut aërem, propter virtutis oculi
naturæ similitudinem. De magnetis ferrum trahente
& similibus in primo libro dictum est. Attractio-
nem autem cibi ad singula viuentium membra in
superioribus traditum est propriam esse facultatem
cuiuspiam animæ singulis membris insitæ, atque
in ea operatione contactum adesse, virtutis immen-
diatum, suppositique mediatum.

B Concauium quidem certe speculum cum ignem
producat reflexione radiorum solis, ibi manum
producit, vbi maior reflexio aptaque magis ma-
ria ad concipiendum ignem. Fit autem reflexio ad
aliquam distantiam, in qua ex omni parte spiculi
concurrunt radij.

Superiores porro aquæ calefactæ partes calidiores
sunt, quam ea, quæ sunt in fundo, quia vapo-
res calidi sursum mouentur, relictis in fundo, cal-
dioribus ac frigidioribus partibus, quæ superent
agris & dissoluantur ab igne. Accedit & antipre-
statis, qua propter contrarij præsentiam aquæ vir-
tus ad inferiores partes igni propinquas se se res-
picit, vt ei resistat.

C Calefcit vero oleum in charta, nec incenditur
la, pomumque coquitur illo linteo, vel propria
eandem causam, quia oleum quoque & pomum
sunt actu frigida: vel quia nec charta nec linteum
combuti possunt, nisi liccentur, ficari autem ne-
queunt, dum ab oleo & pomo humedantur. La-
Hieronymus Cardanus in 2. de subtilitate lib. 2.
qui docet pisces in charta velut in faragine, si
oleum infundatur. Neque flum oleo circumdatur
ardere, non solum in prunis sed nec in flamma.

Non semper vero oscitamus oscitante alio, sed
cum non aduertimus, vacatque plane & otiosa est
anima: Nimirum excitata anima ab alterius osci-
tatione, repenteque appetitu facto euadit, quod
aliâ anima vt bonum cognouit. Fortasse etiam ab
oscitante transmittuntur vapores aliqui graues &
pigri, molestique natura, quorum excutendos
rum fit appetitus, & ideo oscitamus, vt excutamus.
Sane aut non ex qualibet distantia, aut non
tantopere ad oscitandum excitamur. Quod si at-
tendat anima & aduertat, non excitamur, quod
phantasia rectum iudicet.

E Ex eadem quoque probantia virtute prouenit
vt prægnantium affectus viciet fortum, totque
infantibus maculæ carum rerum, quas prægnans
magnopere appetierit, conspiciatur. Refert Cæ-
danus in 12. lib. de subtilitate, accidisse, vt cum de-
mulieres, quarum altera erat prægnans, colloque-
rentur, aliaque accurreris earum capita collisisset, ea,
quæ erat prægnans expresserit in foetu signa mem-
ris. Nam duas peperit puellas à summa fronte ad
narium vsq. iunctas. Tenerrimus enim in vtero fo-
tus ita nutritur ac pædet à matre, vt quamlibet eius
impressionem nullo negotio suscipiat. In corpore
bus item nostris plurimum valet imaginatio. Anima
enim per species aut res imaginatas proximam se
spiritu & per hunc aliu remotiorem mouet, quousque
ad eam veniat parte, in qua effectus ille eripit.

Quo spectat maioris cuiusdam difficultatis expli-
catio. Nam ex hominis recenter interfecti valde
dicitur sanguis effluere, si accesserit ille, qui in-
terfecit. Non enim credendum est solam eius præ-
sentiam id efficere absque contactu. Sed aut

Dandi

nam id iustitiam efficere, vt fortasse responderet Theologus: aut si naturalis ratio subdit, vehementem esse imaginem inimicitiae aut odij, vehementemque spiritus agitationem contra interfectorem, factam eo tempore, quo interficiebat. Magnopere namque accensa est bilis & inflammatus ad vindictam sanguis, agitatiusque spiritus; atque accurrunt ad vulnus, tum ad laetam corporis partem fouendam, tum ad vindictam. Quare si antequam sedentur, inimicus accedat, erumpit in illum sanguis; tum propter antecedentem imaginationem inimicitiae & vindictae, a qua fuerunt spiritus & sanguis incitati; tum etiam quia eadem est in inimico agitatio; & ideo propter sympathiam vnum simile mouetur ad alterum simile, spiritus interfecti ad interfectoris spiritum. Quo circa non nisi intra viginti quatuor vel vt manu Marsilius Ficinus in Platonis conuiuium, oratione septima capite intra septem horas post interfectionem effectus ille sequitur, antequam spiritus in interfecti corpore sedentur. Haec fortasse fuerit huius rei naturalis causa. Nam quod Petrus Apponenfis scripsit exponens problema tertium, quod sextum ipse numerat, sectionis septimae; id euenire propterea quod interfecto, dum interficeret, impressit spiritus quosdam inimicitiae succensus in interfectum, qui ad interfectoris praesentiam mouentur ad eum redeundo, a quo prodierant, & ideo fiat motus in interfecto corpore vulnū que emittat sanguinem: non videtur satis probabile: cum impressio illa & reditus spirituum explicari non possit.

In instrumentis musicis vniuersum, inquit Hieronymus Fracastorius in lib. de sympathia cap. 11. aliud vniuersum mouet: quia quae similitur tenae sunt chordae similes aëris vndationes & facere & recipere natae sunt. Quae verò dissimiliter sunt tenae, non eisdem circulationibus aptae sunt moueri, sed vna circulo aliam impedit. Namque in chorda pulsata cernitur duplex motus, alter fit a citharedo, altero pulsata chorda ad proprium redit fitū. Quare si eamota debeat alia moueri, oportet in secunda talis proportio sit; vt aëris circulationes quae priorē faciunt motum, posteriorē non impediunt. Haec proportionem illae solae habent chordae, quae similem habent, tensionem. In ijs enim quae dissimilem, dum fit secundus motus, obuiat illi secunda aëris circulo, ac sese impediunt. Addit Cardanus in 18. lib. de subtilitate, aërem motum excitare semper sonum in chordis, licet non audiatur: cum tamen equalis est motus, consentit in vnum motum; quia eadem ratione mouetur, nec vllō modo resistit, integerque ad quiescentem chordam deseritur, tantaque propemodum vi mouet, quanta mouetur. Alij alias cogitant causas. Sed in omnibus manifestum est, motum illum sine mediato saltem contactu non fieri.

Cur autem lupinis fidibus agnina non obstrepant; immò etiam lupinis tympanis agnina penè obmutescant; causam omnes referunt in eorum animalium contrarietatem & pugnam. Immo in omnibus diuersorum animalium fidibus idem euenire Cardanus affirmat. Alij verò permulti contactum ponunt specierum intentionalium, quae à lupino Tympano ad agninum delata dissoluant illud. Sed neque haec species admittuntur ab omnibus, neque realem vllam actionem praestare possunt. Mallem id totum vel in ipsum realem sonum & aëris motum referre, vel in alias qualitates illius

corijac fidium contrarias & hostiles, quae motu illo, quo pulsantur, excitantur maximè.

Alia permulta de lupis ab Alberto scribuntur in 22. lib. de animalibus, Cardano, & alijs. Homo dicitur viso lupo (quamquam irridet Scaliger exercitatione 344.) obmutescere seu potius raucescere, propter malum & homini contrarium spiritum, qui ex oculis eius erumpit. Cohibet enim hominis spiritum, ne perfectè vocem formare queat. Equi etiam pedes obstupescere dicuntur, si vestigia lupi diu sequatur. Nam si recentia sint, odore & praua qualitate vexatur. Eadem est causa, cur lupi cauda in boum aut equorum praesepio suspensa impediatur eos ne comedant; & caput in columbario suspensum noxia columbis arceat animalia: nisi etiam ex aspectu afficiantur timore. Pleraque alia dicuntur, quae fabulosa videntur.

Vltima superest obiectio explicanda, quae deducebatur, actionem fore superficialium tantum, quarum est contactus. Verum non ita est. Namque contactus non est ratio formalis, sed conditio actionis, conditio autem in extremitatibus satis est, modo formalis ratio, quae est virtus agendi vnius & patiendi alterius, in illis totis vigeat. Atque haec ita se habent.

DIGRESSIO. XI.

De Proiectionum motu.

Aterum ad contactum in operationibus naturae stabilicidum duo seorsim ex pluribus explicanda sunt, quae in superioribus proponebantur. Alterum, quod Aristoteles ipse obiecit in tex. 82. lib. 8. Phys. Si enim inquit omne, quod mouetur, mouetur ab aliquo, quomodo mouentur aliqua continuè, non tangente eo, quod mouet, vt proiecta? Alterum de magnete lapide, qui ferrum item non tangit, quod ad se trahit. In horum altero est expulsio, qua expellens, vt est in tex. 10. lib. 7. Phys. relinquit id, quod expellit. In altero tractio, in qua inter magnetem trahentem & ferrum tractum interponitur aër. Vterque motus ab extrinseco principio fit: ille à proiciente; hic à magnete: ille à se repellit, hic ad se trahit. Proiecta principio moueri à proicientis motrice virtute, perspicuum est. Sed si ab eadem mox impelleretur proiectum à proiciente separatum; neque mouens & mobile simul essent seseuè tangerent; neque perinde cessaret motus in eodem termino, siue proiciens velocissimè sequatur profectum, siue non sequatur; neque perinde moueretur, siue lapide ex fenestra proiecto claudatur illico, siue non claudatur fenestra.

Ergo permultifunt, qui virtutem motricem proiecti à proiciente separati considerent in proiecto; aut impetum illi impressum; aut etiam qualitatem, quae sensim deficiat, totaque tandem abolita cesset motus. Nec desunt qui non in proiecto modo, sed & in medio qualitatem hanc imprimi dicant. Sanè impetus nihil aliud, quam motum, significat; neque alius in proiecto impetus considerari potest, quam motus ille, quo mouetur. Hic autem est effectus, cuius causam querimus; non illius causa. Neque aliud est imprimere impetum, quam mouere. Et quoniam impetus non permanens ens est, sed successiuum, quo modo successiuum est totum simul imprimatur & in proiecto impressum vsque ad finem motum conferuetur.

Homo viso lupo raucescit.

Proiectionum & magnessi comparatio.

A quo mouetur proiecta.

Montecarinum 8. Phys.